



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Quid senserit Capreolus, & Canariensis. c. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Capreol.
Ferrar.
D. Thom.

Capreol. in 1. d. 26. q. 1. a. 2. ad 1. Scoti ex illis, quæ tercio loco adducta erant, & Ferrar. 4. contra gentes c. illo 26. plinius secuti sunt. S. Tho. in 4. dicunt relationem dupliciter considerari: tum vt formam hypostaticam & proprietatem personæ, & hoc modo constituitur personam, non tamen distinguere, ita vt possit intelligi pater relatione sic constitutus sub conceptu formæ hypostaticæ, priusquā intelligatur generare: tum: ut est relatio & sic non constituitur personā, sed illam distinguere. Priori namque modo non est ad aliud, nec formaliter est relatio, & ideo ante orig. potest intelligi: posteriori aut modo iam est formaliter relatio, & sic tantum potest distinguere, quia omnis distinctio in diuinis fit oppositione relatiua. Iuxta quod notat Capreol. cum eadē omnino res sit essentia, forma hypostatica, & relatio, diuersa tamē formaliter in ea re, nostra consideratione distingui: primo essentiam quæ dicitur deitas, quæ persona constituitur in ratione Dei: secundo proprietatem seu formā hypostaticā, quæ constituitur in ratione personæ: tercio relationem, quæ vna persona ab alia distinguitur.

Marfil.

Refert quoque pro hac sent. Canar. Marfil. in 1. q. 29. a. 2. dub. 1. concl. 1. vsque ad 3. ubi reuera prædicta dist. sub eisdem verbis vtrius, idemq; omnino docet. Ceterū in q. 30. art. 3. ad 1. argum. in contrariū adductum, dicit non constitui relationes ad b. notionales. hoc est, actus notionales non esse fundamenta relationum: quia quamuis in humanis relatio paternitatis consequatur generationē, eo quod relatio non constituit generantem substantialiter: in diuinis tamen relatio paternitatis est ante generationem, quia persona substantialiter constituta prius est, quam generet. Constituitur autem relatione. Imo concedit, Patrem æternum constitutum paternitate prius habere filium, quam generet: id quod tanquam absurdum Scot. inferebat, vt vidimus c. 1. nec video, quā ratione defendi possit. Ecce certe, si id esset verum, non erat opus Marfilio distinguere relationem duobus illis modis vt altero constitueret, altero distingueret. Sed iam opinionem Capreoli & Ferrar. confutare necesse est.

9.
Scotus.
Durand.

Eam vero impugnatur Scot. in 1. d. 28. q. 1. §. hic conuenit. & Durand. in 1. d. 26. q. 1. n. 16. Prima autem ratio sit Scoti in hunc modum. Relatio illa, secundū quod est proprietas seu forma hypostatica, formaliter est aliquid: ergo vel absolutum, vel relatiuum; si absolutū, ergo personæ constituntur formaliter forma absoluta, quod concedit Scot. si relatiuum, ergo frustra distinguitur relatio in orationē formæ hypostaticæ, & relationis; cū etiā sub ratione formæ hypostaticæ sit formaliter ad aliud: atq; hoc admissio ead. prorsus videntur absurda sequi, quæ Scot. infert contra eos, qui dicunt personas constitui relationibus formaliter, quæ i. c. memorauimus. Ceterū aliqui respondent, relationem sub eo conceptu formæ hypostaticæ esse formaliter absolutū, nihilominus constitui personam relationibus, in quantum relationes sunt, sumpta particula *Inquantū*, vt nota specificationis, non vt nota reduplicationis, hoc est, constitui personas per id, quod est relatio, non sub ratione relationis, sed absoluti. At hoc frivolum est, nā quiasserunt, personas constitui absolutis proprietatibus, formaliter, non negāt, constitui per id, quod reuera relatio est, quia in omniū sententiam idem sunt proprietates secundum rem

Responsio pro
Ferrar. &
Capreol. opi
nionē resolu
tur.

cum relationibus. Nunc autem cōtrouersia est, quomodo formaliter constituentur personæ, vtum relatione, an absolute. Prædicti vero Theologi dicunt, vt Canar. c. 2. allegatus abutuntur particula *Inquantū*, vt sit nota specificationis in eo sensu, quæ ipsi volunt. Vt enim dicimus 1. d. 11. p. 73. c. 9. & 3. p. 96. art. 1. o. hæc particula tunc dicitur nota specificationis, quando determinat & signat partem, aut peculiarem naturam subiecti, ratione cuius rei conuenit predicatum, etiam si cōueniat per accidens, & non per se. Veluti cum dicimus, *Christus inquantum homo, est albus seu ambulat*: aut *alibi inquantum habet dentes, est albus*. Hic enim prædicta particula non potest esse nota perfectiatis, vt ostendit quæ predicatum non prædicatur per se de subiecto: recipite dicitur prædicta particula nota specificationis in hac propositione, *Relatio inquantum relatio, constituit*, vt sit sensus id, quod est relatio constituit: hic enim est sensus quem vocant idemque, & non formalis, qui solum particula illa denotari non potest. Adde quod particula, *Inquantum*, vt ibidem dicam, cum i. c. explicat, & repetit subiectum, vt in prædicta propositione, dicitur reduplicatiua, & semper est nota perfectiatis.

Secunda ratio Dur. est huiusmodi. Aut forma hypostatica & relatio distinguuntur ex opposito (quidā codices mendose legunt ex supposito) aut distinguuntur sicut superius & inferius: si distinguuntur ex opposito, hoc est, vt opposita sequuntur personas constitui formaliter absolute; id n. quod distinguitur ex opposito à relatione, est absolutum: si autē vt inferius & superius, vt ratio proprietatis sit superior relatione, sequitur etiam personas constitui formaliter absolute. Nā si illa ratio proprietatis personalis, quæ superior est, constituit personā, excludendo relationem, debet necellario oppositū includere, sc. absolutū: superius n. nunquam excludit inferius, nisi includat aliud oppositū: veluti animal nunquā excludit rationale, nisi includat irrationale: ergo vel debemus dicere proprietate constitui personā, quatenus est etiam relatio: vel debemus asserere, personas constitui absolute.

Tertiū argum. Scoti & Durand. est. Ratio formæ hypostaticæ, aut proprietatis personalis non comparatur cū relatione quiditativæ, sed denominationis: videtur. n. esse denominatio secundæ (vt aliter intentionis, qualis est denominatio individui, denominationis personæ, & principij constituentis: aut si est denominatio realis, non videtur esse quiditativa, vt notauimus disp. 130. c. 2. Cū vero quæstio est de eo, quod constituit personam, non inquirimus de ratione denominationis constituentis, sed de essentiali & quiditativa: sicut cum inquirimus, quo constituitur Petr. in ratione personæ, postulamus quiditativum conceptum illius, quo constituitur: non autem quomodo illud denominetur, vtum dicatur principium individui, an ratio personæ.

Vltimo denique, quod ex Marfil. postea lib. 1. c. 2. referebamus, relationes nimirum priores esse originibus, cuius meminit Bonan. in 1. d. 27. q. 2. a. 2. absurdū est. Nā si faretur id, quod inferebat Scot. patrem habere filium, antequam intelligatur generasse, cur dicemus ipsum genuisse: vel ad quid generationem concedimus ei, qui iam habet filium? Deinde si loquamur de passiva generatione, non potest esse posterior relatione: nam prius est generari, quam genitum esse; ergo quam filium esse. Quod si filio constituto in ratione filij non aliter generetur

generatio passiva; nec patri, qui simul cum filio est, aduenire poterit actiua, quæ passiva respondet.

CAPVT IV.

Durandi & Gabrielis sententia.

Durand. in 1. d. 26. qu. r. n. 18. & d. 27. q. 1. aperte docet, personas constitui relationibus & distinguui sub expressa, & formalitate relationis: nec posse à nobis intelligi personam patris prius constitutam, quam generet, & habeat filium, sed simul. Idipsum docet Gabr. in 1. d. 26. q. 1. art. 3. dub. 4. videturque fuisse sent. Scoti in 1. d. 28. q. vlt. §. ad quest. & §. ad argument. principale, & quodl. 4. in fine ad argum. principale; tamen si distinct. 26. defendat ut probabile opinio de Ripis, ut retulimus præced. disp. cap. 3. Philosophatur autem hoc modo. Primum ne cogatur dicere, personas constitui forma absoluta sub conceptu absolute affirmant, constitui formaliter per relationes, ut relationes sunt. Nam quocunque alio modo constituantur, præterquam relatione sub formali & propria ratione relationis dicendum est constitui absolute, ut hæcenus contra Caietan. Canariensem, & alios probatum est.

Præterea dicunt, personam patris simul esse cum generatione, & filio nec prius esse generationem, quam paternitatem, nec cogatur asserere, aliquo modo concipi personam constitutam, antequam intelligatur relatio: sic. n. fieret, ut persona non constitueretur relatione formaliter, sed absolute. Et sane si constitutio personæ esset ex natura rei, facile possemus prædicta sent. quoad utrūq; partē tueri, quia simul natura paternitas constitueret personam patris, & generaret filium, tamen si pater esset prior origine quā filius; hæc. n. prioritas inter personas, eū ut formaliter relatas, inuenitur, ut disp. 108. c. 2. dicemus: at vero non possemus prius ratione intelligere primam personam, quam generationem; quia ipsa generatio quasi fieret pater & persona & haberet filium: essetq; discrimen inter patrem creatum, & æternū, quod creatus esset personæ, ut generare posset, prius natura, quā actu generaret: at æternus simul esset persona & pater, & paternitate esset persona generando, & generando esset pater & persona: cūq; Scot. locis citatis dicat, constitutionē personarū in Deo esse ex natura rei, consequenter videtur locutus. Est autem consentaneū eius principis, asserere constitutionem diuinā personarum esse ex natura rei, siquidem docet, relationem distinguui ex natura rei ab essentia. Sic. n. cū ea conveniēs: ex natura rei personā posset constituere, ut diximus disp. præced. c. 2. Durand. quoq; & Gabr. qui sentiunt, relationem ab essentia distinguui ex natura rei, ut retulimus disput. 120. c. 3. asserere debent, constitutionem personarum esse ex natura rei, quā posita recte, cum Scoto de modo constitutionis personarum per relationes philosophatur.

Veram tamen hoc eorum fundam. falsum esse monstravi disp. illa 120. ideoq; præced. disp. intuli constitutionem esse debere per solam nostrā considerationem, Quo posito, sequi videtur, personam debere constitui, vel constitutam, considerari prius, non solū origine, sed etiam ratione, quam intelligatur generatio ac proinde prius quam, paternitas: quoniam nostro more intelligendi prius concipimus id, quod est principium generationis, secundum quod in se est, quam intelligamus generationem ab eo procedere. Tunc igitur qualiter erit persona nostro more intelligendi constituta?

Vasquez in 1. p. tom. 2.

absolutione, an relatione? at relatione paternitatis certe non potest, qui hæc, vel posterius intelligitur, quam generatio, vel saltem simul: nulla autem videtur alia relatio; erit igitur constituta absolute, ac proinde reedit eadem difficultas.

Nonnulli tamen, qui hanc Durandi, amplectuntur sententiā in eo quod asserit, non prius intelligi generationem, quam paternitatem, nec e contra; nec prius considerari suppositū constitutum; quam genere, cum inquiritur de fundamento paternitatis, & aliarum relationum personalium in Deo, dicunt non esse generationis imo origines à relationibus solo nomine videntur distinguere. Asserūt autem fundam. relationum esse essentiam Dei intelligentem seipsam cum ceteris omnib; & hoc modo originem quasi inchoatā intelligi prius ipsa relatione. Nam origo perfecta cū relatione productionis nō est prior, nec posterior persona producente, sed illā secum affert; est enim discrimen inter relationem creatā, quæ aduenit supposito constituto, & diuinā, quæ constituit suppositum, quod superius Durandus assignauit.

Ceterum sent. horū sent. ex parte iā impugnata est præced. disp. c. 4. ubi ostendimus, generare & paternitatem, generari & filiationem nō esse synonyma, ac proinde differre, nō solo nomine, sed etiam conceptu. Quis. n. neget respectum, quem in origine concipimus, & quē in relatione apprehendimus, nō eodem modo à nobis cogitari? respectus enim originis est productionis & viæ, respectus autem relationis ut patris & filij, est ut productoris & producti. Ex quo prima ratio contra hunc modum dicēdi colligitur, nam fatendum est inter hos conceptus originis & relationis esse ordinē non reale naturæ, aut origine, sed ratione & consideratione nostra, quia vnū est ut via, aliud autē ut forma iā in facto esse: ergo vnū debet cogitari prius alio: non quidem relatio, ergo origo. Non enim ideo à nobis intelligitur pater generare, quia pater est: sed potius ex eo intelligimus, esse patrem instar eorū, qui creati sunt, quia genuit, & de filio similiter.

Secundo impugnatur horum opinio, quia non recte dicunt fundam. relationis paternitatis esse solam essentia intelligentem se, &c. cum enim hæc sit in filio, in filio quoque intelligeremus fundam. paternitatis, quod est absurdū. Cum autem loquimur de fundamento relationis diuinæ non contendimus asserere aliquid distinctum ex natura rei ab ipsa relatione, sed id, quod nostro modo concipitur ut causa proxima relationis: essentia autem non est proxima causa, etiam ut intelligens; quia sic reperitur in filio: ergo est ratione intellectio- nis notionalis, quæ est productio: hanc autem nos vocamus originem: eumque fundamentum prius, debeat concipi, quam relatio. origo prius erit in nostra consideratione quam relatio.

Tertio, cum principium originis, videlicet generationis, non sit solā essentia, sed persona, quia essentia non producit, sed persona & nostro modo intelligendi prius concipimus id, unde est generatio, quam ipsam generationem: neque enim principium est per generationem, sed contra nostro modo intelligendi: necesse est personam primam prius concipi in se, esse, quam producere: tunc autem nequit relatione paternitatis constituta considerari, quia paternitas non potest prius intelligi generatione, ut contra Marfil. aduersarij quoq; fatentur, & nos c. præcedēti probauimus.

B b

CAP.